



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

VIII. Vt laici a rebus ecclesiasticis abstineant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ria copula separetur, & ad mandatum ecclesiæ satisfaciatur. ANNO CHRISTI 1199.

VII.

Item præcipimus vt clerici rasuram & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab episcopo districtione canonica compellatur.

VIII.

Cum duæ sint in terris potestates a Domino constitutæ, spiritualis videlicet & sæcularis, & vna de spiritualibus & ecclesiasticis, altera de sæcularibus habeat iudicare, graue committit peccatum quicumque laicus vel ecclesias donare, vel ecclesiasticas personas iudicare præsumit. Quocirca præfenti decreto statuimus, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & domini papæ Innocentii, vt quicumque clericus de manu laica ecclesiam vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tandiu vinculo excommunicationis teneatur astrictus, donec ad mandatum ecclesiæ satisfaciatur: & quod contra sacros Canones factum fuerit, irritum habeatur & inane. Illos autem laicos, qui ante constitutionem istam ecclesias donauerunt, vel in ecclesiasticas personas manus iniecerunt violentas, volumus per episcopos tertio commoneri; & nisi pœnitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

IX.

Excommunicamus omnes illos qui thesauros ecclesiarum iniuste detinent, donec restituant; & eos qui Latinos detinent in seruitute, nisi recepta pecunia quam dederunt eos pristina restituant libertati.